

dicto praefati Locumtenentis titulo mentionatum exerceri posse Banatum. Unde prioribus benignis nostris eatenus factis Resolutionibus etiamnum inhaerendum statuimus.

Tertio, quantum porro petatum a nobis ex parte vestra diploma concernit, plurima, eaque rara illibatae Fidelitatis et Constantiae vestrae argumenta cum alias semper, tum vero hisce proxime praeteritis perniciosarum seditionum temporibus luculenter declarata gratissima mente recolentes, clementer quidem annuimus, ut diploma illud a Sua Sacratissima quondam Caesarea Regiaque Maiestate Domino Genitore Nostro desideratissimo Gloriosae reminiscentiae Vobis concessum, pro moderno rerum Statu immutari, renovari, confirmari possit.

Quarto demum ac ultimo quoad tuitionem ac defensionem Privilegiorum, Juriumque ac Immunitatumstrarum. Ea quoque in parte condignam Vestrum omnium rationem habentes, per Cancellariam nostram Austriacam Aulicam et Consilium Bellicum iam ubique, debitis nimirum in locis, intimari publicarique fecimus, ne Vobis aut Vestrum alicui in Juribus suis nobilitaribus ullum per Militiam nostram Germanicam praeiudicium adferatur vel generetur. Per hoc enim quod Nobilis Michael Mikula tanquam seditiosus et criminis laesae Maiestatis aliqua in parte reus Jureque Regio captus et incarceratus fuisset, nihil praerogativis Jurisdictionique Vestrae derogatum esse vobis persvasum habere velitis.

Et haec erant, quae fidelitatibus Vestris, eo quo praemissum est modo ac ordine, responsi loco breviter insinuanda intimandaque habuimus. Iisdem in reliquo gratia nostra Caesarea et Regia iugiter propensi manentes. Datum in Civitate nostra Vienna die trigesima Mensis Julii. Anno Domini Millesimo Sexcentesimo Septuagesimo tertio.

Leopoldus m. p.

Thomas Pallfy m. p.

Episcopus Nitriensis.

Stephanus Orban m. p.

Originale in Archivo Regni Croatiae.

## CCXII.

Anno 1677. die 9. Augusti. Viennae.

Leopoldus Rex SS. et OO. significat, se necdum posse votis eorundem nominatione realis Bani satisfacere.

Reverendo, Honorabilibus, Spectabilibus, Magnificis, Egregiis et Nobilibus, Prudentibus item ac Circumspectis N. N. Regnorum Nostrorum Dalmatiae, Croatiae et Slavoniae universis Statibus et Ordinibus etc. Fidelibus nobis dilectis.